



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XXI. De compunctione cordis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Dimitte vana vanis : tu autem intende illis, quæ tibi præcepit Deus.

Claude super te ostium tuum , & voca ad te J E S U M , dilectum tuum.

Mane cum eo in cella tua , quia non invenies alibi tantam pacem.

Si non existes , nec quicquam de rumoribus audisses , melius in bona pace permanisses. Ex quo nova delectat aliquando audire , oportet te exinde turbationem cordis tolerare.

## C A P U T X X I .

### *De compunctione cordis.*

i. **S**i vis aliquid proficere , conserva te in timore Dei , & noli esse nimis liber : sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos , nec ineptæ te tradas lætitiae.

Da te ad cordis compunctionem , & invenies devotionem.

Compunctionio multa bona aperit , quæ dissolutio citò perdere consuevit.

Mirum est , quòd homo potest unquam

unquam perfectè in hac vita lètari: qui suum exilium , & tam multa pericula animæ suæ , considerat & pensat.

2. Propter levitatem cordis , & negligentiam defectuum nostrorum , non sentimus animæ nostræ dolores : sed sæpè vanè ridemus, quando meritò flere deberemus.

Non est vera libertas , nec bona lætitia , nisi in timore Dei cum bona conscientia.

Felix , qui abjicere potest omne impedimentum distractionis , & ad unionem se recolligere sanctæ compunctionis.

Felix , qui à se abdicat , quidquid conscientiam suam maculare potest , vel gravare.

Certa viriliter , consuetudo consuetudine vincitur.

Si tu scis homines dimittere , ipsi bene te dimittent tua facta facere.

3. Non attrahas tibi res aliorum , nec te implices causis majorum.

Habeas semper oculum super te primum , & admonueas teipsum specia-

eo cap

specialiter , præ omnibus tibi dilectis.

Si non habes favorem hominum,  
noli exinde tristari : sed hoc sit tibi  
grave , quia non habes te satis be-  
ne & circumspectè , sicut deceret  
Dei servum , & devotum Religio-  
sum conversari.

Utilius est sæpe & securius , quòd  
homo non habeat multas consola-  
tiones in hac vita secundum car-  
nem præcipue.

Tamen quòd divinas non habe-  
mus , aut rariùs sentimus , nos in  
culpa sumus : quia compunctionem  
cordis non quærimus , nec vanas &  
externas omnino abjicimus.

4. Cognosce te indignum divina  
consolatione , sed magis dignum  
multa tribulatione.

Quando homo est perfectè com-  
punctus , tunc gravis & amarus est ei  
totus mundus.

Bonus homo sufficientem in-  
venit materiam dolendi & fien-  
di.

Sive enim se considerat , sive de  
proxi-

proximo pensat, scit, quia nemo sine tribulatione hic vivit.

Et quantò strictius sese considerat, tanto amplius dolet.

Materiæ justi doloris & internæ compunctionis, sunt peccata & vitiæ nostra; quibus ita involuti jacemus, ut raro cœlestia contemplari valeamus.

5. Si frequentius de morte tua, quam de longitudine vitæ cogitates, non dubium quin ferventiū te emendares.

Si etiam futuras Inferni sive Purgatorii poenas cordialiter perpenderes, credo quod libenter laborem & dolorem sustineres, & nihil rigoris formidares.

Sed quia ad cor ista non transeunt, & blandimenta adhuc amamus, ideo frigidi & valde pigri remanemus.

6. Sæpe est inopia spiritus, unde tam leviter conqueritur miserum corpus.

Ora igitur humiliter ad Dominum, ut det tibi compunctionis spiri-

eo cap

spiritum , & die cum Propheta :  
Ciba me, Domine, pane lacryma-  
rum, & potum da mihi in lacrymis,  
in mensura.

## C A P U T   XXIL

*De consideratione humanae mi-  
seriae.*

1. **M**ISER es , ubicumque fue-  
ris , & quocunque te ver-  
teris nisi ad Deum te convertas.

Quid turbaris , quia non succedit  
tibi , sicut vis & desideras ? Quis  
est , qui habet omnia secundum  
suam voluntatem ? nec ego , nec  
tu , nec quis hominum super ter-  
ram.

Nemo est in mundo sine aliqua  
tribulatione vel angustia , quamvis  
Rex sit , vel Papa.

Quis est , qui melius habet ?  
utique qui pro Deo aliquid pati  
valet.

2. Dicunt multi imbecilles & in-  
firmi. Ecce , quam bonam vitam ille  
homo habet , quam dives , quam  
magnus.